

PROOEMIUM.

Si locus spectetur variis in hominum societate existentibus institutis tribuendus , ea profecto quæ ipsius hominis nobiliores altioresque rationes pro fine proprio habent , fastigium obtinere absque dubio pronuntiabitur .

Inter hujusmodi itaque instituta studiorum Universitates potissime recensentur .

Ecclesia autem ipsa , quanto Universitates recte institutæ utriusque , et ecclesiasticæ et civilis , societati decori ac bono sint , ab ipsis horum institutorum exordiis perspexit ; sicut et hominum christiana societas intellexit Universitates absque Ecclesiæ auctoritate et cura proprii præcipue finis incertas esse . Idcirco , in seculis et terris Fidei dominantis , Ecclesia , ex qua Universitates vere sunt enatae , illis mater fuit liberalissima , amantissima ; vi sua ,

suoque lumine ipsas veluti informavit, verique universi, omnium scilicet bonorum intellectus in unum finem supremum tendentium, instituta esse curavit. Quæ quidem omnia, ubi nexus ille cum Ecclesia ruptus est, prope sunt disjecta. Hæc autem exponere, et Religionis atque Ecclesiæ cum studiorum Universitatibus intimam rationem, Ecclesiæque circa eas jus et potestatem vindicare, hac nostra dissertatione conati sumus.

Nec labor nec sincerus in Ecclesiam Sedemque Apostolicam animus defuit; quæ autem ex scientiæ debilitate et scribendi imperitia parum apte protulerimus, ea, quæso, benigne lector, ut non inhumane excipias sed patienter sustinere velis.
